MISSÆ PROPRIÆ SANCTORVM

PARTIM DE PRÆCEPTO, PARTIM ad Libítum, pro Celebrantium commoditate in vnum breuiter collectæ, & ordinatè dispositæ.

IVXTA DECRETA

AB VRBANO OCTAVO.

Ad hanc diem sub

CLEMENTE DECIMO

emanata.

Vnâ cum Missis Sanctorum in Minorum Ordine nuper consecratorũ.

POSNANIÆ.

Typis Adm: Rndi D. ALBERTI LAKTANSKI, Anno D. 1680.

INDEX SANCTORVM DE PRÆCEPTO.

S.	Bibianæ Virginis & Martyris.	2. Decembris.
S.	Francisci Xauerij Confessoris.	3. Decembris.
S.	Raymundi de Pennafort Confessoris.	23 Ianuarij.
S.	Francisci Salesij Confessoris.	29. Ianuarij.
S.	Martinæ Virginis, & Martyris.	30. Ianuarij.
S.	Petri Nolasco Confessoris.	31. Ianuarij.
S.	Franciscæ Viduæ Romanæ.	9. Martij.
S.	Ioseph Confessoris.	19. Martij.
S.	Hermenegildi Regis Hispaniæ Mart.	13. Aprilis.
S.	Monicæ Viduæ,	4. Maij.
S.	Venantij Martyris.	18. Maij.
S.	Petri Cælestini Papæ, & Confessoris.	19. Maij,
S.	Bernardini Senensis Confessoris.	20. Maij.
S.	Mariæ Magdalenæ de Pazzis.	25. Maij.
S.	Philippi Nerei Confessoris.	26. Maij.
S.	Henrici primi Imperatoris Confessoris.	15. Iulij.
S.	Ignatij Confessoris.	13. Iulij.
S.	Claræ Virginis.	12. Augusti.
S.	Birgittæ Viduæ.	8. Octobris.
S.	Tesesiæ Virginis.	15. Octobris.
S.	Petri de Alcantara Confessoris.	19. Octobris.

INDEX SANCTORVM AD LIBITVM.

S.	Canuti Regis, & Martyris,	19. Ianuarij.
S.	Andreæ Corsini Confessoris.	4. Februarij.
S.	Conradi Placentini Confessoris,	19. Februarij.
S.	Vincentij Ferrerij Confessoris.	5. Aprilis.
S.	Elisabeth Reginæ Portugalliæ Viduæ.	4. Iulij.
S.	Ioannis Gualberti Abbatis.	12. Iulij.
S.	Raymundi Nonati Confessoris.	31. Augusti.
S.	Thomæ de Villanoua Confessoris,	18. Septembris
S.	Venceslai Martyris.	28. Septembris
S.	Elisabeth Viduæ.	19. Nouembris

Index Missarum pro Fratribus Minoribus S. Francisci.

S.	Petri de Alcantara Confessoris.	19. Octobris.
	Translatio S. Petri de Alcantara Confessoris.	28. Aprilis.
S.	Rosæ Virginis Viterbiensis,	6. Martij.
	Translatio S. Didaci Confessoris.	
B.	Ludouicæ Viduæ.	19. Augusti.

MIS

MISSÆ SANCTORVM DE PRÆCEPTO.

Die II. Decembris.

IN FESTO S. BIBIANÆ Virginis & Martyris.

Missa, Me expectauerunt, *De Communi Virginum, & Martyrum, excepta Oratione.*

ORATIO.

DEvs omnium largitor bonorum, qui in famula tua BIBIANA cum virginitátis flore martyrij palmam coniunxisti: mentes nostras eius intercessione tibi charitate coniúnge, ut amótis periculis, præmia consequàmur æterna. Per Dominum.

Si celebretur in Aduentu. Secunda Oratio erit de Aduentu, tertia de Sancta Maria, Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero, *quæ terminatur sic.* Per eundem Dominum nostrum, &c.

Die III Decembris.

IN FESTO S FRANCISCI XAVERII. Confessoris.

Introitus. *Psal.* 118.

LOquebar de testimonijs tuis in conspectu regum & non confundebar: & meditábar in mandatis tuis, quæ diléxi nimis.

Psal. 116 Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes pópuli, Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. *Vers.* Gloria Patri, & Filio, &c.

ORATIO.

DEvs, qui Indiarum Gentes Beáti FRANCISCI prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregáre voluisti: concede propitius, vt cuius gloriosa merita veneramur, virtutū quoq; imitemur exempla: Per Dominum nostrum, &c

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos. *Rom.* 10. *b.*

FRatres, Corde enim creditur ad iustitiam, ore eutem confessio fit ad salutem Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum non confundétur. Non enim est distinctio Iudæi, & Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini, salvus erit, Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit. Domine, quis credit auditui nostro? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico; nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Graduale Psal. 19. Iustus vt palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur in Domo Domini.

Vers. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, Alleluia, alleluia.

Iac. Vers. Beatus Vir, qui suffert tentationem. quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, Alleluia.

✠ Sequentia S. Evangelij secundum Marcum. *Marc.* 16.

IN illo tempore: Dixit IESVS discipulis suis. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocébit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Offertor Psal. 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

SECRETA.

PRæsta nobis quæsumus omnipotens Deus: vt nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum: & nos corpore pariter, & mente purificet. Per Dominum.

Communio Matt. 24. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Post Communio.

QVæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente Beato Francisco Confessore tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per &c.

Die XXIII. Ianuarij.

IN FESTO S. RAYMVNDI de Pennafort Confess. *de quo adhuc nihil habetur de proprio.*

Missa Os iusti, *de Communi Confess: non Pontificis.*

Die XXIX. Ianuarij.

IN FESTO S. FRANCISCI Salesii Confessoris.

Missa, Statuit ei Dominus, *vt in Communi Confes. Pont: prima Orat. sequens.*

DEvs, qui ad animarum salutem Beatum Franciscum Confessorem tuum, atque Pontificem, omnibus omnia factum esse voluisti: concede propitius: vt charitatis tuæ dulcedine perfusi, eius dirigentibus monitis, ac suffragātibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per D.

Reliqua vt in eadem Missa.

Die XXX. Ianuarij.

IN FESTO S. MARTINÆ Virg: & Mart. *Missa,* Loquebar. *de Communi Virginum, & Martyrum.*

Die XXXI. Ianuarij.

IN FESTO S. PETRI Nolasco Confess.

Missa. Iustus vt palma, *vt in Commun Conf: non Pontif: præter primam Orationem sequentem.*

DEvs, qui in tuæ charitatis exemplum ad Fidelium redemptionem, S. Petrum Nolasco, Ecclesiam tuam noua prole fœcundare diuinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede, à peccati seruitute solutis, in cœlesti patria perpetua libertate gaudere. Qui vivis, &c.

Die IX. Martij.

IN FESTO S. FRANCISCÆ Viduæ Romanæ.

Missa. Cognoui. *de Communi Confessoris, nec Virg: nec Mart: excepta prima Orat.*

ORATIO.

DEVS

DEus qui beatam Franciscam famulam tuam, inter cætera gratiæ tuæ dona familari Angeli consuetudine decorasti. concede quæsumus, vt intercessionis eius auxilio Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa, & fit commemoratio Feriæ.

Die XIX. Martij.

IN FESTO S. IOSEPH Confesso: *Missa* Iustus vt Palma. *vt in Missali in eius festo.*

Die XIII. Aprilis

IN FESTO S. HERMENEGILDI Regis Hispaniæ Martyris.

Omnia vt in Mißa de Commmuni. In virtute tua. *Præter Orationem propriam, & legitur Evangelium.* Si quis venit ad me, *vt in prima Missa de eodem Communi.*

ORATIO.

DEvs, qui beatum Hermenegildū Martyrem tuum cœlesti Regno terrenum postponere docuisti, da quæsumus, nobis eius exemplo caduca despicere, atque æterna sectari. Per Dominum.

Si celebretur tempore Pasch: dicitur Missa, Protexisti, *vt in communi Martyrum temp: Paschali, cum Evangelio.* Si quis venit ad me. *vt supra.*

Die IV. Maij.

IN FESTO S. MONICÆ Viduæ, *Missa vt in Missali, præter primam Orationem sequentem.*

ORATIO.

DEvs mærentium consolator, & in te sperantium salus, qui Beatæ Monicæ pias lacrymas in Conuersione filij sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis vtriusque interuentu peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam inuenire. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa, quæ celebratur iuxta ritum Temp. Pasch.

Die XVIII. Maii.

IN FESTO S. VENANTII. Martyris.

Introitus. Psal. 63

PRotexisti me Deus, à conuentu malignantium, alleluia: à multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia.

Psalm. Ibid. Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

Vers. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui hunc diem B, Venentij Martyris tui triumpho consecrasti, exaudi preces populi tui, & præsta: vt qui eius merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 5.

STabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se augustauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabunt timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, Alleluia, alleluia.

Psal. 88 Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, etenim verita-

tem tuam in ecclesia sanctorum. All: *Psal.* 20. *Vers.* Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Alleluia.

† *Sequentia S. Evangelij secundum Ioannem.* Ioan, 15.

IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Ego sum vitis vera; & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras, sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.

Offertorium. *Psal.* 88. Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: & veritatem tuam in Ecclesia sanctorum, alleluia, alleluia.

Secreta.

HAnc oblationem omnipotens Deus, B: Venantij merita tibi reddant acceptam, vt ipsius subsidijs adiuti, gloriæ eius consortes efficiamur. Per Dominum.

Communio. *Psal.* 63. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur umnes recti corde, alleluia, alleluia.

Post Communio.

SVmpsimus Domine, æternæ vitæ Sacramenta, te humiliter deprecantes, vt B. Venantio Martyre tuo pro nobis deprecante, veniam nobis concilient, & gratiam. Per Dominum.

Si autem celebretur extra tempus Paschale, Missa. In virtute tua Domine. *vt in Communi vnius Mart. non Pontif: Orationes vt supra, & Evangel:* Si quis uenit ad me, &c. *de Communi Martyr: Pontif.*

Die XIX. Maij.

IN FESTO S. PETRI Cælestini Papæ, & Confessoris.

Introitus, Eccl. 45.

STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi sacerdotij dignitas in æternū. *Psal:* 131. Memento Domine Dauid: & omnis mansuetudinis eius.

Vers. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

DEvs, qui B: Petrum Cælestinum ad summi Pontificatus apicem sublimasti, quique illum humilitati postponere docuisti, concede propitius, vt eius exemplo cuncta mundi despicere, & ad promissa humilibus præmia peruenire feliciter mereamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Pudentianæ.

ORATIO.

Exaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de Beatæ Pudentianæ Virginis tuæ festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccl: 44.

Ecce

ECce Sacerdos magnus, qui in Diebus suis placuit Deo, & inventus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Agnouit eum in benedictionibus suis? conseruauit illi misericordiam suam: & inuenit gratiam coram oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum: & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum æternum: & dedit illi sacerdotium magnum. & beatificauit illum in gloria. Fungi sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignũ in odorem suauitatis.

Graduale Eccl. 45. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem Excelsi. Alleluia. alleluia, *Psal.* 109. ℣. Tu es Sacerdos in æternũ, secundum ordinem Melchisedech. Allel:

Si celebretur temp re Paschali omittitur Graduale, & eius loco dicitur.

Alleluia, alleluia, *Ibid*: ℣. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allel: ℣ Hic est Sacerdos, quẽ coronauit Dominus. alleluia.

✠ *Sequentia S. Euangelij secundum Matthæum.* Matth. 19.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Iesum. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel frares, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Offertorium Psal. 88. Inuenit Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

SAncti tui quæsumus Domine, nos vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, Per Dominum.

Pro S. Pudentiana. Secreta.

ACcepta tibi sit Domine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum.

Communio. Luc. 12. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.

Post communio.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus: vt de præceptis muneribꝰ gratias exhibentes, intercedente Beato Petro Cœlestino Confessore tuo, atq; Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Pro S. Pudentiana, post communio.

SAtiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: eius, quæsumus, semper interuentione nos refoue, cu ius solemnia celebramus. Per Dnum.

Die XX. Maij.

IN FESTO S. BERNARDINI, Senensis Confes, *Introitus Psal.* 36.

OS iusti meditabitur sapientiam,& lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius.

Psal: Ibid. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. *Vers.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

ORATIO.

DOmine Iesu, qui Beato Bernardino Confessori tuo, eximium sancti nominis tui amorem tribuisti, eius quæsumus, meritis, & intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui viuis.

Lectio libri Sapientiæ. Eccl: 31.

BEatus vir, qui inuentus est sine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala & non fecit: ideò stabilia sunt bona illius in Domino & eleëmosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale Psal. 91. Iustus vt palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur in Domo Domini. *Vers.* Ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluia, alleluia

Iac: 1. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, Alleluia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & eius loco dicitur, Alleluia, alleluia.

Iac: 1. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluia.

Eccl: 45. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: stola gloriæ induit eum. Alleluia.

✠ *Sequentia S. Evangelij secundum Matthæum.* Matth. 19.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitã æternam possidebit.

Offertor: Psal: 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

SECRETA.

LAus tibi Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione sanctorum, quibus nos, & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum.

Communio Matth: 24. Beatus seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Post Communio.

REspectu cibo, potuq; cælesti, Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratio ne percepimus, eius muniamur, & precibus. Per Dominum.

Die XXV. Maij.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDAlenæ de Pazzis.

Missa. Dilexisti, *de Communi Virg: præter Primam Orationem propriam.*

ORATIO.

DEus Virginitatis amator, Beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, cœlestibus donis decorasti; da vt quam festiua celebritate veneramur, puritate, & charitate imitemur. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa, in qua fit commemor S, Vrbani Pap: & mart:

Die XXVI. Maij.

JN FESTO S. PHILIPPI NEri Confessoris.

Introitus. Psalm. 36.

OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciũ: lex Dei eius in corde ipsius.

Psal: ibid. Noli æmulari in malignantibus: neque zeleueris facientes iniquitatem. *Vers.* Gloria Patri, & Filio, &c.

ORATIO.

DEvs qui Beatum Philippum Confessorem tuum, Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius, vt cuius solemnitate lætamur, eius virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum.

Deinde fit commem: S. Eleutherij Papæ, & Martyris.

ORATIO.

INfirmitatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat, Beati Eleutherij martyris tui, atq; Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccl: 31.

BEatus vir, qui inuentus est fine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua, Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Graduale Psal. 91. Iustus vt palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur in Domo Domini.

Vers. Ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluia, alleluia

Iac: 1. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, Alleluia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & eius loco dicitur, Alleluia, alleluia.

Iac: 1. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluia.

Eccl: 45. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: stola gloriæ induit eum, Alleluia.

✠ *Sequentia S. Euangelij secundum Lucam* Luc. 12. c.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: vt, cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi. quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, &

transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq; & non sineret perfodi domum suam, Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertor: Psal: 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

SECRETA.

PRæsta nobis quæsumus, omnipotens Deus: vt nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum: & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum.

Pro S. Eleutherio. Secreta.

HOstias tibi, Domine, Beati Eleutherij Martyris tui, atq; Pontificis dicatas meritis, benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per Dominū.

Communio. Matth. 24. Beatus seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Post Communio.

QVæsumus, omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus intercedente Beato Philippo Confessore tuo, per hæc omnia aduersa muniamur. Per Dominum.

Pro S. Eleutherio. Post communio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine, Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente Beato Eleutherio Martyre tuo, atque Pontifice sentiamus effectum. Per Dominum.

Die XV. Iulij.

IN FESTO S. HENRICI Primi Imperatoris Confessoris.

Missa. Os iusti, *vt in Communi Confess: non Pontifi: prima Oratio sequēs.*

DEus, qui hodierna die Beatum Henricum, Confessorem tuum, è tereni culmine Imperij ad regnum æternum transtulisti, te supplices exoramus, vt sicut illum, gratiæ tuæ uberrate præuentum, illecebras sæculi superare fecisti, ita nos facias, eius imitatione, mundi huius blandimenta vitare, & ad te puris mentibus peruenire. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa

Die XXXI. Iulij.

IN FESTO S. IGNATIJ Confessoris.

Missa vt supra in Festo S. Philippi Nerij, præter primam Oration: sequent: omissa commem: S. Eleuthe:

DEus qui ad maiorem tui Nominis gloriam propagandam, nouo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Per Dnum.

Die XII. Augusti.

IN FESTO S. CLARÆ Virginis.

Missa. Dilexisti. *de Communi Virginum tantùm, cum commemor: oct: S. Laurentij.*

Die VIII. Octobris.

IN FESTO S. BRIGITTÆ Viduæ.

Missa. Cognoui. *de Communi nec Virg: nec Mart: præter primam Orationem sequentem.*

ORATIO.

DOmine Deus noster, qui Beatæ Brigittæ per Filium tuum vnigenitu secreta cælestia reuelasti: ipsius pia

us pia intercessione da nobis famulis tuis, in reuelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eundem Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa.

Die XV. Octobris.

IN FESTO S. TERESIÆ. Virg. *Missa.* Dilexisti, *In Communi Virginum tantum, excepta prima Oratione propria.*

ORATIO.

EXaudiat nos Deus salutaris noster, ut sicut de Beatæ Teresiæ Virginis tuæ festiuitate gaudemus: ita cælestis eius doctrinæ pabulo nutriamur, & piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa.

Die XIX. Octobris.

IN FESTO S. PETRI De Alcantara Confessoris.

Introitus Psal. 91.

IVstus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. *Psal. Ibid.* Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

DEus qui Beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis pænitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: da nobis quæsumus, ut eius suffragantibus meritis carne mortificati facilius cælestia capiamus. Per Dominum.

Lectio Epistole Beati Pauli Apostoli ad Philippenses. Phil. 3. b.

FRatres: quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est, Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum &, virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius: si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex tuis. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehensam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu

Graduale Psal. 36. Os iusti meditabitur sapiētiam, & lingua eius loquetur iudicium. *Vers.* Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia, Aellel. *Psal.* 111 *Vers.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis: Alleluia.

✠ *Sequentia S. Evangelij secundum Lucam.* Luc. 12.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri véstro dare vobis regnum. Vendite, quæ possideris, & date eleémosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientē in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit,

Offertorium. Psal. 20. In virtute tua Domine, lætabitur iustus & super salutare tuum exultabit vehementer; desiderium animæ eius tribuisti ei.

SECRETA.

PRæsta nobis quæsumus, omnipotens Deus: vt nostræ humilitatis oblatio; & pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum, & nos corpore pariter, & mente purificet. Per Dominum.

Communio Matth: 19. Amen dico vobis, quód vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me: centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Post Communio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedente Beato Petro Confessore tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominnm.

MISSÆ SANCTORVM

AD LIBITVM.

Die XIX. Ianurii.

IN FESTO S. CANVTI Martyris.

Missa In virtute. *vt in communi vnius Mart. prima Oratio sequens:*

DEvs qui ad illustrandam Ecclesiam tuam Beatum Canutum Danorum Regem Martyrij palma, & gloriosis miraculis decorare dignatus es: concede propitius, vt sicut ipse Dominicæ passionis imitator fuit, ita nos per ejus vestigia gradientes, ad gaudia sempiterna peruenire mereamur; Per eundem Dominum.

Euangelium Si quis vult post me.

Reliqua vt in eadem Missa, & in ea fit commemoratio Sanctorum Martyrum Marij & sociorum.

Die IV. Februarij

IN FESTO S. ANDREÆ Corsini Confessoris.

Missa. Statuit ei. *vt in communi Confessoris Pontificis, prima oratio sequens*

DEvs plebis tuæ miserator, cui Beatus Andreas Pontifex, abdicato sæculi fastu, liberiori placuit ministerio: da, quæsumus, Pastoris sui solemnia recensenti, ejus non destitui suffragio, cuius confidit meritis, tuæ restitui gratior majestati. Per Dominum.

Die XIX. Februarij.

IN FESTO S. CONRADI Placentini Confessoris. Pro Placentinis, & Nerinis. *Missa* Iustus vt palma. *Euangel.* Dixit. Petrus ad IESVM. *vt in communi Abbatum.*

Die V. Aprilis.

IN FESTO S. VINCENTII Ferrerij Confessoris.

Missa. Os iusti. *vt in Commoni Confessoris non Pontificis, Prima Oratio sequens.*

DEvs qui ecclesiam tuam Beati Vincentij Confessoris tui meritis, & prædicatione illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis, vt & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus eius patrocinio liberemur adversis. Per Dominum.

Si celebratur in Quadrages. fit Commemoratio Feriæ.

Die VI. Iulij.

IN FESTO S. ELISABETH Reginæ Portugaliæ Viduæ

Missa. Cognoui. *vt in Commoni nec virgines Mart: prima Oratio sequens.*

CLementissime Deus, qui B. Elisabeth Reginam, inter cæteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti: da nobis ejus intercessione post mortalis vitæ, quàm supliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum.

De inde fit commem. Oct. Apostolorum, tertia Oratio. Concede, *& dicitur* Credo *& Præfatio de Apostolis.*

Die

Die XII. Iulij.

IN FESTO S. IOANNIS Gualberti Abbatis.

Introitus Psal: 36.

OS justi meditabitur sapientiam & lingva eius loquetur judicium: lex Dei eius in corde ipsius.

Psal: Ibid: Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

INtercessiones, quæsumus Domine B. Joannis Gualberti Abbatis commendet; vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ Eccl: 45.

DIlectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est, Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placuit. Glorificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocẽ ipsius, & induxit illum in nubem, Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ disciplinæ.

Graduale. Psal. 20. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

℣. Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia, alleluia.

Psal. 91. Vers: Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. All.

✠ *Sequentia S. Evangelij secundum Matthæum.* Matth. 5. f.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid ampliùs facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælestis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocrytæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem facie nte eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Offertorium. Psal. 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate laborum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Secreta

SAcris altaribus, Domine, hostias superpositas S. Ioannes Gualbertus Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per Dominum.

Communio. Luc. 12. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Post communio.

PRotegat nos Domine, cum tui perceptione Sacramenti Beatus Ioannes Gualbertus Abbas, pro nobis intercedendo: vt & conuersationis eius experiamur insignia, intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum.

Die XXXI. Augusti.

IN FESTO S. RAYMVNDI Nonnati Confessoris.

Missa, Os iusti, *vt in communi Confessoris non Pontificis, præter primam Orationem hic propriam.*

ORATIO.

DEvs, qui liberandis Fidelibus tuis ab impiorum captiuitate, B. Raymundũ Nonnatum Confessorem tuum mirabilem effecisti, eius nobis intercessione conce-

D de, vt

de, vt à peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

Die XVIII. Septembris.

IN FESTO S. THOMÆ de Villanoua Confessoris.

Missa, Statuit ei, *de Communi Conf. Pontificis, præter primam Orationem hic propriam.*

Oratio.

DEvs, qui B. Thomam Pontificem in signis in pauperes misericordiæ virtute decorasti: quæsumus, vt eius intercessione, in omnes, qui te deprecantur, diuitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum.

Die XXVIII. Septembris.

IN FESTO S. VENCESLAI Mart.

Missa. In virtute. *vt in Communi vnius Mart. præter primam Orationem hic propriam.*

Oratio.

DEvs, qui B. Venceslaum per Martyrij palmam à terreno Principatu ad cælestem gloriam transtulisti, eius precibus nos ab omni aduersitate custodi, & eiusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Die XIX. Nouembris.

IN FESTO S. ELISABETH. Viduæ.

Missa, Cognoui. *vt in communi nec Virg: nec Mart: præter 1. Orationem hic propriam.*

Oratio.

TVorum corda fidelium Deus miserator illustra, & B. Elisabet præcibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

Sanctorum Ad Libitum.

Finis.

MISSÆ SANCTORM

Pro Fratribus Minoribus Ord: S. Francisci.

A Sacra Rituũ Congregatione recognitæ, & approbatæ.

Die XIX. Octobris.

IN FESTOS PETRI de Alcantara Confess.

Introitus. Gal. 6.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Psal: 33.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEvs qui B. Petrum Confessorem tuum admirabilis pænitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: concede propitius; vt ejus suffragantibus meritis carne mortificati, cælestiũ donorum participes fieri mereamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Philippenses. *Phil. 3. b.*

FRatres: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: & in veniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est, Christi Iesu: quæ ex Deo est justitia in fide ad cognoscendum illum & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti ejus. Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo, & comprehensus sum à Christo IESV.

Graduale Psal: 36. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur judicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia: allel: ℣. Crucis cultor optime, S. Petre, normaueræ sanctitatis, impetra nobis

tuis

tuis præcibus fructus dignos pænitentiæ, vt tecum simus æternæ gloriæ consortes. Alleluia:

✠ Sequentia S. Evangelij secundum Lucam. *Luc.* 12. d.

IN illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. *Credo.*

Et dicitur per totam Octavam, & in festis infra eam occurentibus.

Offertor. Psal. 20. In virtute tua, Domine letabitur iustus: & super salutare tuum exvltabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

Secreta.

OBlationem nostram, quæsumus Domine, S. Petri meritis placatus assume: quam dum in carne viveret, purissimis manibus contrectavit, & obtulit. Per Dominum.

Communio. Matth 19. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquisti omnia, & secuti estis me: centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Post communio

PRæsta nobis, quæsumus omnipotens Deus: vt B. Petri Confessoris tui semper facta sectantes, fructum, quem de cœlesti hoc alimento percepit, ipsi quoque percipere mereamur. Per Dominum.

Infra Oct. S. Petri, & in die Oct. dicitur Missa sicut in die festi: Sed infra octavam, quando non fit Commem. festi Simplicis, dicitur secunda Oratio de S. Maria. Concede nos. *Tercia.* Ecclesiæ tuæ, *vel pro Papa.* Deus omnium.

Die XXVIII. Aprilis.

In Festo Translationis

S. PETRI DE ALCANTARA Confessoris.

Missa. Mihi autem. *vt in Missali in ejus Festo præter primam Orationem hic propriam.*

ORATIO.

DEvs qui animam B Petri Confessoris tui charismatum donis, & corpus crucis mortificatione decorasti: concede precibus nostris, vt qui eius recolimus Translationis memoriam, virtutum quoque imitemur exempla: Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa, quæ celebratur juxta ritum temp. Pasch. servata Rubrica Translationis S. Antonij, & in ea fit Commemoratio S. Vitalis.

Die VI. Martij.

IN FESTO S. ROSÆ.

Virginis Viterbensis.

Missa Dilexisti *de commun. Virg. tantum. Prima Oratio sequens.*

ORATIO.

DEvs, qui B. Rosam Sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quæsumus, vt eius precibus, & meritis à culpis omnibus expiemur, & tuæ Maiestatis consortio perfruamur æterno. Per Dominum.

Reliqua vt in eadem Missa cum Commem: Feriæ. Et die IV. *Septembris in eius Ttranslatione dicitur eadem Missa.*

In Festo Translationis. S. DIDACI Conf: *Missa,* Humiliauit se. *vt in eius festo prima Oratio sequens.* ORATIO.

DEvs, qui per Translationem Corporis B. Didaci Confessoris tui, eius gloriam in terris renovasti: concede propitius, vt ipsius precibus nos spiritu renouati, æterna præmia consequi mereamur in cælis. Per Dominum.

Reliqua ut in eadem Missa, quæ celebratur secundum Ritum temporis Paschalis. & in ea fit commem: Feriæ secundæ Rogationum, nisi transferatur: & non dicitur Credo, *nisi celebretur infra Octauam Ascens: vel S. Bernardini, seruata Rubr: Translat: S. Antonij.*

Die XIX. Augusti.

IN FESTO B. LUDOVICÆ Viduæ,

Missa, Cognoui. *de Communi nec Virg: nec Mart.*

FINIS.

FERIA SEXTA

post Dominicam Passionis.

Festum Septem dolorum B.V.

Introitus.

Stabat iuxta Crucem IESV Mater ejus, et Soror Matris eius Maria Cleophe & Maria Magdalenæ.

Vers. Mulier ecce Filius tuus dixit Iesus, ad discipulum autem ecce Mater tua.

℣ Gloria Patri et Filio etc.

Oratio.

DEVS, in cuius passione secundum Simeonis prophetiam dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris Mariæ doloris gladius pertransiuit: concede propitius, ut qui transfixionem eius et passionem venerando recolimus gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui viuis.

Commemoratio feriæ

Lectio libri Iudith.

Benedixit te Dominus in virtute tua, qui per te ad nihilum redegit inimicos. Benedicta es tu à Domino Deo excelso. Præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creauit cælum et terram, quia hodie Nomen tuum ita magnificauit ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias et tribulationes generis tui, sed subuenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

Graduale Dolorosa et lachrymabilis es Virgo Maria Stans iuxta Crucem Domini IESV Filij tui Redemptoris. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplicium, vitæ factus homo.

Tractus Stabat Sancta Mater cæli regina, et mundi Domina, iuxta Crucem Domini nostri IESV Christi dolorosa ℣ O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Sequentia.

tabat Mater dolorosa,
Iuxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.